

Q. F. F. Q. S.

TENTAMEN ACADEMICUM,

DE

USU CALCIS

IN

AGRIS

ET

PRATIS,

QUOD

*Ex Suffrag. Ampliff. Facult. Philos. in Reg.  
Acad. Aboënsi,*

PRÆSIDE

**D<sup>N</sup>. CAROLO FRID.  
MENNANDER,**

Scient. Natur. PROFESS. Reg. & Ordia.

Nec non

Reg. Acad. Scient. Svec.

MEMBRO,

*Publico examini submittere constituit*

**JOHANNES LINDELL,**

*SATACUNDENSIS.*

Ad diem 13. Aprilis Anni MDCCLI.

L. H. Q. S.



ABOÆ, Imprim. Direct. Reg. Acad. Aboënsi, Officin,

JACOB MERCKELL.

*Johannes Lindell*

*Admodum Reverendo atque Præclarissimo VIRO,*  
**Dn. JACOBO GADOLIN,**  
PASTORI in Nouis dexterrimo, & vicini districtus PRÆ-  
POSITO vicario adcuratissimo, PATRONO & FAU-  
TORI multis nominibus æternum colendo.

*Plurimum Reverendo atque Præclarissimo VIRO,*  
**Dn. Mag. GABRIELI HANZEMAN/**  
Ecclesiæ, quæ in Caris Lojo colligitur, PASTORI vigi-  
lantissimo, PATRONO & FAUTORI æta-  
tem devenerando.

*Plurimum Reverendo atque Præclarissimo VIRO,*  
**Dn. Mag. HENRICO LILIO,**  
PASTORI Sahalaxensium fidelissimo, PATRONO exopta-  
tissimo, quovis observantiæ cultu  
suspiciendo.

PATRONIS ET FAU

**D**um singularis Vestræ, Plurimum Rever. Domini PA-  
in mentem revoco documenta, deprehendo me nullius non  
nulla alia ratione gratum testari animum valeam, munusculum  
ram Vobis offero. Reverenter & obnixè rogans, ut tenuem

*Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo VIRO,*  
**Dn. ERICO FORTELIO,**

PASTORI in Saftmola laudatissimo, FAUTORI &  
EVERGETÆ pia animi veneratione perpe-  
tuo prosequendo.

*Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo VIRO,*  
**Dn. Mag. CAROL. POLVIANDER,**

PASTORI in Lappo meritissimo, FAUTORI ut opti-  
mo, ita sincero affectu nullo non tempore  
venerando.

*Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo VIRO,*  
**Dn. Mag. JACOBO ESTLANDER,**

Ecclesiarum Lappfjerdensium VICE - PASTORI laudatis-  
simo, FAUTORI integerrimo, gratisima mente  
semper honorando.

TORIBUS OPTIMIS.

*TRONI & FAUTORES, in me benevolentia luculentissima  
obsequii genere Vobis esse devinctissimum. Idcirco cum Vobis  
hocce chartaceum in humillima & obstrictissima mentis tessera  
hunc ingenioli mei factum, quem rudi elaboratum Minerva in  
lucem*

lucem prodire sino, hilari vultu & porrecta fronte suscipiatis, illique, dignatione propria orbatō, ex Nominibus Vestris Reverendis nitorem & auctoritatem conciliare haud dedignemini. Mibi vero nihil magis incumbit, nilque jucundius erit, quam DEUM assidue compellere precibus, velit Vos, ad Nestoreos annos, felices & sospites servare; ut ecclesia, cujus bono Vosmet devovistis, diutissime prodesse, Familiisque Vestris honoratissimis longissime superstites esse queatis! Quod ex imo pectore, dum spiritus hos regit artus, vovet

Admod. & Plurimum Reverendorum Nominum  
VESTRORUM,

Cultor observantissimus,  
JOHANNES LINDELL,



I. N. 7.

§. I.

**J**usti potius voluminis, quam exercitii Academici formam indueret tractatio hæc nostra, si omnia, quæ calcis indolem & naturam spectant, singula circa utilissimum hoc lapidum genus instituta & lucifera & lucifera experimenta, imo, si vel solos usus, quos inde haurit genus humanum, fusc exponeremus. Hinc indice tantum digito palmaria horum in limine monstrasse sufficiat. Calcarios lapides integrum inter simplices ordinem constituere notissimum est, quo omnes illi referri solent, qui chalybe non scintillant, igne vero in farinam fatiscunt. Hos tamen aliqui in genuinos calcarios, in menstruis acidis cum effervescencia solubiles, & in gypseos, talem largientes calcis speciem; quæ acidis non solvitur, subdividendos volunt (a). Calcariæ indolis sunt non modo lapidum & terrarum varia genera, ob usus suos plurimos copiosissime per orbem dispersa; sed ingreditur quoque terra calcaria regnum inprimis animale, ibique, ipsum fulcrum & basin ejus, ossa nimirum, constituit. Homogenea his sunt ostroco-dermata, ex quibus etiam, ubi copiose adsunt, calx paratur, utpote in Batavia ex ostreis, in insula Goa, An-

A

gola

(a) D. J. H. Pott *Chymische untersuchungen von der Lithogognosia*, p. 3. seq.

gola & Golconda ex aliis quoque testaceis. Idem in patria, præsertim Bohusia, usu venire notum est (b). Fit tamen hoc communiter ex lapide calcario vulgari, variorum colorum. Hic vel lignorum combustionem, vel cunei, vel denique pulveris pyrii vi e montibus sejungitur, vel etiam a natura dispersus tantum colligitur, quod in Alandia factum esse accepimus. Postea ad locum ustionis deportatur, ubi adest vel calcaria fornax, constanter huic usui inserviens (c); vel etiam ex ipsis his lapidibus fornacis figura construitur, cujus rimas fragmentis lapideis minoribus undiquaque obtegunt, ne ignis flamma libere penetret, & vim perdat suam. Huic induntur lapides calcarii reliqui, quibus ignem supponunt. Per octo dies ardet hæc strues inextincta, & igne vehementi comburitur. Eximuntur postea lapides calcarii, jam vivæ calcis nomine salutandi, quæ adeo est non naturæ, sed artis filia. Viva vere inde dicitur, quod, accedente aqua, motum & effervescentiam subeat. De qua ejus proprietate *Plinius*: *Mirum, aliquid postquam arserit, accendi aquis* (d). Et hac quidem ratione in variis etiam Fennicæ locis, potissimum maritimis, paratur calx; utpote in paræciis Pargas & Kimito probe Aboam, in Nylandia, Ostrobotnia, &c. In mediterraneis vero nostris magna plerumque laborant & calcis & laterculorum penuria; unde est, quod cum has murarias materias & pretium & longin-

(b) Linnæi *Wästgötha resa*, p. 207. & Calms *Wästgötha och Bohusländska resa*, p. 91. (c) Conf. *Köngl. Vetenskaps Acad. Handlingar*, 1748, p. 96. seq. (d) *Hist. Nat. Lib. XXVI. c. 23.*

longinqua vectura illis reddat perquam caras, in fumosis suis hypocauftis vitam transigere soleant. Non vero tam regiones has vastissimas laborare lapidum & argillarum his usibus idonearum inopia, quam incolas ipsos eas investigandi & parandi ignorantia, nobis est perquam credibile. De integro vero calcinationis hujus processu, modo extinguendi & conservandi calcem, de notis bonitatem ejus detegentibus, reliquisque huc spectantibus, consuli possunt æconomici scriptores.

§. II.

**P**Otius ad usus calcis breviter attingendos convertimur, qui innumeri fere sunt, iique tanti, ut pretiosis lapidibus, quibus valorem imposuit non utilitas, sed humana persuasio, palmam omnino præripiat (a). In Medicina, Chymia, Metallurgia, Oeconomia, variisque aliis artibus, hi se nobis copiose conspiciendos præbent. Et in medicina quidem ad curandos varios morbos, tam intrinsece quam extrinsece, adhibetur (b). Chymico ad depurandum sulphur, aliosque pingues & oleosos humores, saliaque varia, ad parandum sal Ammoniacum & volatiles spiritus, alibique, ministeria exhibet. Ex calce cum additamento spiritus fumans & phosphorus parari potest. Fluori variorum metallorum inservit, illaque emendat. In arte tinctoria penetrationem colorum adjuvat, albedinem conciliat ossibus & ebena, aramentum sympatheticum ingreditur. Et dignum esset, in quod accuratius in-

A 2

quire-

(a) Von Bromels insedni ig til nödig fundskap, at igenfinda allahanda bergarter, c. V. (b) Conf. G. E. Stahl's materiam medicam, &c.

quireretur, experimentum *Borelli* (*c*), dum contendit, ex calce viva, sapone veneto & cinere querno posse parari materiam, quæ, si illinatur folio libri transcribendi, vel imagini æri incisæ, idem typus exprimeretur in folio mundo; & tantum abesse, ut liber impressus inde corrumpatur, ut mundior potius eo fiat, quam ante fuerat. In œconomia reliqua esse calcem ingrediens saponis, lixivii, smegmatum; ejus ope parari coria, pisces aridos macerari, saccharum & syrupos depurari &c. nemini ignotum est. Mollescunt ejus ope cornua & ossa, & cuilibet figuræ recipiendæ idonea redduntur. Linum etiam molle & gossypio æmulum efficit (*d*). Oenopolis ad impediendam fermentationem acescentem vinorum dulcium solet adhiberi. Parantur inde cæmenta, vasis vitreis lapideisque fractis coagmentandis idonea, & lutum vasis Chymicis. Neque reticenda est vis *Gorgonia* calcis, cum vegetabilia & animalia in petram conversa hæc potissimum sinu suo gerat. In aquarum etiam thermalium & acidularum productione multi insignes partes calci assignant (*e*). *Palmarius* vero usus ejus in ædificiis & architectura elucet, ubi lapidum coagmentationi & incrustationi inservit, dum mixta cum arena calx tractu temporis in lapideam duritiem solidescit. Cum tamen veterum ædificia deprehendantur firmiora recentioribus, aliquid artis deperditæ adesse

(*c*) In historiis & observ. Medico-physic. centur. IV. obs. LXXVI. (*d*) *Rongl. Wet. Acad. Handlungar*, 1747. p. 179. (*e*) *Em. Swedenborgius* in miscell. observatis circa res naturales, p. I:ma.



esse & latere vel in ipsa calcis uisione, vel subactione & mixtura hodierna, plerique putant. De usu denique illo calcis, dum agrorum pratorumque sterilitatem corrigere, & fertilitatem iis conciliare creditur, paulo prolixius erimus in pagellis his acturi; quas ut æqui bonique consulat benevolus lector, perofficiose contendimus.

§. III.

**Q**UOD alibi in scrutinio rerum naturalium evenire nobis solet, ut nimirum usus earum facilius detegamus, quam interiorem indolem & naturam; idem etiam circa calcem contigisse observamus, ut nimirum subjectum hoc, quamvis sit ex notissimis, antiquissimis & usitatissimis, multumque fatigaverit philochymicorum solertiam, non dum tamen satis sit examinatum, sed multa adhuc indaganda exhibeat. Ita effervescentiam & effectum calcis corrosivum sunt qui inde deducunt, quod sub uisione, expulso omni humore, ingens corpusculorum igneorum quantitas poris ejus angustis, tamquam cellulis, includatur; quæ, penetrante iterum aqua ad hos eorum carceres, magna vi exitum molirentur, & cum fervore ebullirent, donec, dilatatis sufficienter calcis partibus, libertatem plenariam egressui suo adipiscantur. Dum vero illis obvertitur, quod alia etiam corpora omnia, diu igni exposita vel calcinata, eosdem tum cum calce exhiberent effectus, ad diversitatem pororum confugiunt. Quod vero spiritus vini & oleum non pariat talem effervescentiam, hoc ideo evenire putant, quod ramosis suis particulis aperturam pororum hi  
humo-

humores occluderent (a). Alii receptacula ejusmodi ignis penitus ignorant, & si adessent, illa potius quærenda contendunt in metallis, lateribus, aliisque lapidibus compactioribus, quam in calce illa porosioris. Cumque ignis per aquam potius impediatur & extingatur, pinguibus vero & sulphureis adaugeatur, particulæ hæ igneæ calci inclusæ, spiritu vini vel oleo illis affuso, aut admoto pulvere pyrio, in manifestam erumperent flammam, quod tamen non evenit. Hinc causam effervescentiæ hujus aliqui potius in sale, quo medianre ageret calx, quærunt, cujus tamen existentiam alii pernegant, cum nullo artificio inde illud extricare potuerint; quibus mox priores illi salis alcalini calcarii jam clariora jam obscuriora indicia exhibent. Alii in acido concentrato, ab humore ignis ope liberato, & partibus terreis inexistente, calcis vim activam potissimum collocant; quod acidum, accedente aqua, partes terreas adoriretur, & ebullitionem produceret, perinde ac oleum vitrioli cum aqua effervesceat. Inesse nimirum contendunt hi lapidibus calcariis multum sulphuris, de quo odor sub ustione perhiberet testimonium; ignis autem vi avolare partem subtiliorem, volatile inflammabile & acidum; fixiores tamen acidas remanere, & in terreis concentrari. Reliquam, eamque maximam calcis vivæ partem, constituere terram crassiorem, ab acido immunem, aqua non solubilem;

(a) Lemery dictionnaire des drogues simples, *sub voce calx*, & Cours de Chymie, part. I. c. XI. Item C. A. Crusii anleitung über naturlich begebenheiten ordentlich und vorsichtig nachzugehen, §. 315.

bilem; acidum vero, ubi ejus copia fit, avide absorbentem. Affusa aqua activitati suæ reddi acidum, & partes adjacentes terreas adoriri; unde effervescentia & ebullitio (*b*). Et hæc quamvis ita non sine veri specie dicantur, quæ tamen illis obvertant, alii habent. Neque recentissima Academicorum Parisinorum eaque plurima circa calcem instituta experimenta ad liquidum deducere quæstionem principalem potuerunt: an & quale eidem competat sal? Cum Proteo mutabiliorem sub tentaminibus se exhibuerit, ita ut eorum aliqua varias patefecerint in calce salis species; alia sal aliquod proprium illi denegandum suadeant; alia purum acidum vitrioli hic hospitari; alia sal neutrum seleniticæ naturæ adesse detegere visa fuerint. Est itaque ulteriori Chymicorum sedulitati calx commendanda. Ansam vero aliquam discrepantibus hæctenus circa illius indolem opinionibus dare potuit ipsa calcis specierum diversitas, quodque sub nomine calcis in diversis regionibus veniant aliquantum discrepantia subiecta, non eadem plane phænomena exhibentia. Hinc testatur *Casp. Neumannus*, se instituisse cum calce Anglica experimenta, cum Parisina nunquam succedentia; ex hac vero elicuisse varia, quæ Germanicæ non exhibuerunt. Unde difficillimum judicat, sub calcis vocabulo venientis corporis certam, universalem & completam definitionem condere (*c*).

§. IV.

(*b*) *Casp. Neumanni chymicæ med. dogmatico-experimentom. I. part. III. cap. IV. sect. II.*

(*c*) *Ib. p. 234. Conferantur præterea de calcis indole Acta Reg. Scient. Acad. Svec. A:ii 1749. p. 133. seq.*

## §. IV.

**I**N hac sententiarum discrepantia, ipsiusque calcis diversitate, neque mirum est, in diversa etiam abire auctores, dum vis calcis in agros & prata erit exponenda & determinanda. Aliqui enim solam calefaciendi potestatem illi concedunt. Si alios consulas, salis sui potius ope perficere eam, quidquid præstat, volunt; nimirum absorbendo, exsiccando, incidendo, & moleculas terræ subtiles nutritionique plantarum aptas reddendo (a). Alii non sal modo suum terræ communicare calcem, sed etiam noxium ejus acidum absorbere contendunt (b). Aliis substantiæ insuper suæ subtiles particulas incremento vegetabilium conferre creditur. Sunt denique, qui ita nutritioni & crescentiæ regni vegetabilis inservire calcem opinentur, ut nihil ultra desiderent, præter solam aquam. Esse enim terram hanc alcalinam aqua solubilem, & constituere basin non animalium modo, sed etiam vegetabilium; gaudere præterea vi attrahendi acidum aëreum; hoc vero ad pingue & oleosum attractionem exferere, cum quibus in saponaceam mixturam abiret calx, vegetabilium nutritioni aptissimam. Præcipue, si calx viva cum sale communi fuerit calcinata, & terra mixta, prius quam agro committitur, miras illi futuras vires magneticas versus acidum universale, miram fecundandi facultatem, volunt aliqui. In tanta opinionum varietate bene tamen cum calce nostra agitur, cum severiores

(a) J. A. Kulbel, in dissert. de causa fertilitatis terrarum, th. XXX. (b) Hiärnes beswarade frågor, p. 276.

riores etiam illius iudices insignes tamen illi, in sterilitate terrarum emendanda & fertilitate producenda, vires relinquunt; in primis in illis agris pratisque, quæ frigidæ dicuntur esse indolis, hoc est, paludosis, humidis, tenacibus. Omnes vero uno ore movent, ut modice & prudenter, secundum cuius libet terræ indigentiam, adhibeatur. Si enim copiosius iusto & immoderate hæc sagina usurpata fuerit, plus noxæ quam utilitatis solo affert, illudque exsiccat & exurit; unde ortum duxit tritum illud Germanorum: wenn ein grund mit Kalk gedünget worden / so werden nur alte Leute davon reich (c) Potest tamen illa vitiositas corrigi & præveniri, si aliis fimi generibus fuerit permixta. Cumque denique fortius evaporet aqua calce imbuta, quam pura (d), quid & illo nomine vegetabilium incrementis inserviat, quilibet videt.

§. V.

**J**am consulenda erit experientia, quosque effectus illa doceat insequutos fuisse calcis usum in agris, breviter considerandum. Est vero usus hic ejus perquam antiquus. Nam *Plinius* auctor est, *Heduos & Pictones calce uberrimos fecisse agros* (a). Solent autem nonnulli inprimis commendare artificiosam ipsorum seminum imbibitionem, ut illa præparentur & macerentur, antequam terræ gremio com-

B

mit-

(c) Allgemeines Oeconomisches Lexicon, sub voce Kalk.

(d) Rougl. Svenska vetenskaps Acad. handlingar, 1746. p. 192. seq.

(a) Nat. Hist. Libr. XVII. c. VIII.

mittuntur. Cujus rei neque antiqui erant ignari; quippe Poëta ejus meminit:

*Semina vidi equidem multos medicare serentes,*

*Et nitro prius & nigra perfundere amurca,*

*Grandior ut fœtus siliquis fallacibus esset (b).*

Inde varii excogitati succi, in libris œconomicis obuii, quorum multos calx ingreditur, quosque magnæ & stupendæ virtutis ad uberiores provenitum auctores volunt. In calcario fundo læte proveniunt & segetes & uvæ (c). Solent vero aliqui lapillos & terras calcariæ incolis, quales a natura porriguntur, agris committere. Ita Bacheracenses schisti quadam specie tractu temporis in terram solubili vineas suas fœcundant (d). Aliqui conchas marinas agris inferunt (e); quod faciendum suadet *Virgilius*:

*squalentes infode conchas (f).*

Idem in Anglia obtinet, ubi ruricolæ conchyliam partim flumine partim equis per septem vel octo milliaria deportant, quibus faginant agros, unde illi uberimam messem, idque per longum tempus, reddere perhibentur (g). Ossa pariter & cornua fœcunditati intervire multi experti sunt (h). Quam commendari soleat ad fertilitatem terræ procurandam

(b) *Virgilio Georgic. Libr. I. v. 193. seq.* (c) *Rising's Landboof*, p. 15. De calce miscenda cum aliis terræ speciebus, vide eundem, p. 22. (d) *Lessers Lithotheologie*, §. 450. (e) *Calm*, l. c. p. 163. (f) *Libr. II. v. 348.* (g) *Serenii Engelfsa åfterman* p. 158. (h) *Jbid.* p. 180. *Stridsberg*, p. 26.

dam Marga, alba illa vel flavescens & pinguis argillacea calcariaque terra, nemini ignotum esse opinamur (i). Sed maneamus in calce strictius dicta, eaque usta. Certe non simplicis utilitatis in agris illa est animadversa. Eam in ipsis fimetis dispergendam volunt *Colerus* aliique; ubi inter alia etiam citiorem saginæ reliquæ dissolutionem promovet. Calcis quinquaginta tonnas mixtas mille vehibus humi paludosæ illam conciliaffe agro fertilitatem, ut ex hordeo vigesimi septimi grani proventum reportaverit, testantur *acta R. Acad. scient. Holm. (k)*. Calcarium etiam lignis aridis inutilibus & quisquiliis mixtum; igneque subactum, paludi exsiccandæ, lætisque frugibus ferendis idoneæ reddendæ conduxisse (l). Cerealiibus illa quoque ratione favet, quod femina reddat grandiora, quodque zizanias infringat, enervet, eradicet (m). Per mixturam tritici sementi destinati cum octava calcis parte fuliginem impediri posse pariter constat (n). Reliquæ etiam fructus corruptioni, in primis tamen ustilagini, impediendæ infervire est animadversa (o). Nec dubium est, quin incommoda vermibus & insectis, infestis plantarum hostibus, reddat habitationis loca; eaque non a segete modo virente arceat, sed etiam in granariis tutum

(i) conf. *Sten Biörnsons jordmång. (k). 1745. p. 160. (l) 1744. p. 64. (m) Engelska åkerman, p. 171. (n) Kongl. Vet. Acad. handlingar 1741. p. 236. Bihanget til Engelska åkerman p. 31. (o) Leipziger Samlungen, 2. Stück, p. 97.*

tutum fervet frumentum (p). Majoribus illis frugum prædonibus, avibus, talpis muribusque, neutquam gratum exhibet obsonium. Quanta vero copia calx fit adhibenda, & qua mixtura temperanda, cujusque agri indoles indicat & determinat; ejus itaque situm & naturam probe habeat sibi perspectam agricola, ad quam, ne labor in damno sit, se accommodare tenetur, & justam miscendorum quantitatem observare. Auctor libri de agricultura & re pastoritia Anglorum ostendit, qua proportione quamque copiose ad maxime uliginosum arvom soleat ab illis calx adhiberi (q). Alii in mediæ humiditatis agro seminis eidem committendi duplum sufficere opinantur (r). Illam vero miscendorum rationem servandam nostrorum aliqui volunt, ut tres sint ex cinere partes, una ex calce, fimi vero duodecim (s). Ast cum, ceu diximus, quævis nec hoc in puncto ferat omnia tellus, fundi sui indigentiam respiciat, cumque illa rationes inerat prudens œconomus. Rite vero temperatam calcem posse omnis speciei fundo emendando inservire se expertos contendunt Angli; imo, in arenosis etiam glareosisque locis argillæ & calcis mixtura excitari fœcunditatem. Modus vero calcem adhibendi is est, ut, si prius fuerit usta, dispergatur tantum per arva, & aratro terræ misceatur, ipsa tamen antea plerumque vel humo vel fimo antiquiori diluta; calcarios vero lapides

(p) C. T. Rango de curculionibus, p. 60. (q) p. 171. (r) von Rohrs ober Sächsisches haus wirtschafft Buch, p. 147. (s) Koenigl. Botenst. Acad. handlungar 1740. p. 477.



des in cumulum congerunt, terra obtegunt & ignem admovent, quam struem, postquam pluvia fuerit extincta, agris committunt. Optimum vero censent, si calx, cespitibus stratum supra stratum interposita, ante usum per sex menses fervetur (t).

§. VII.

**P**Ratum *Varro* dictum vult quasi paratum, quod semper absque labore proventum tuum tribuat hominibus (a). Et huic quidem vocis derivationi inhærere crediderim illos nostrorum, qui in ea sunt opinione, prata sumtus & operas non requirere; cum tamen testetur experientia, illa quoque neglecta contabescere, & requirere omnino naturam, ut eorum magna habeatur ratio, castigetur sterilitas, fœcunditas vero arte humana promoveatur. Circa usus vero calcis in emendandis pratis eo brevioribus nobis esse licet, quo facilius ex antecedentibus quilibet colligere potest, quando & quas utilitates in hac etiam œconomia ruralis parte pariat. Scilicet, & hic gelidum humidumque fundum corrigit, copiam bonitatemque fœni restituit, vermes vero & insecta arcet, &c. In illis potissimum pratis, ubi graminum radicibus abundantia aquæ nocuit, & musco aptum paravit habitaculum, quæque sunt præterea tumulis & cespitibus squalida, emendandis, magnæ est virtutis. Si enim apertæ fuerint aquæ profluendi viæ, & terra aratro subacta, deinde vere calce conspersa, extirpato musco gramina late radices suas agere incipiunt. Hibernorum paludes testes erunt, quæ calce aut testis faginatæ, dense & læte gramina proferunt, quo

C

pastu

(t) *Serenius*, l. c. (a) *de re Rust. Libr. I. c. VII.*

passu boves eorum pingues & nitidi redduntur. Agrum  
 calce & humo paludosa fœcundatum, postea vero in pra-  
 tum conversum, uberem & diuturnum dare fœni pro-  
 ventum, serius vero reddi muscosum, quam ratio-  
 ne quacunque alia paratum, in patria quoque est anim-  
 adversum (b). His pauca, circa usum calcis in hortis &  
 plantationibus, addere lubet. Calx modice sparsa in bo-  
 trides lupuli, eum refocillat, & insectorum hospitia de-  
 struit. solent etiam hortulanorum aliqui areolas & ipsa  
 plantarum folia calce conspergere, ne verminatione læ-  
 dantur. In Anglia floribus hortensibus substernitur, qui  
 inde læti & magni proveniunt. Calcem vero sanguine  
 temperatum arboribus etiam fructiferis commendant.  
 Nec obstare videtur quidquam, quin calx ad maturanda  
 illarum plantarum exoticarum incrementa, quæ vehemen-  
 ti indigent calore, utiliter adhiberi possit. Olera mirum  
 in modum, dum illis subjicitur calx fimo mixta, pro-  
 ficiunt & lætantur, vermium vero injurias contem-  
 nunt. Ipse enim vidi, olera fimo solo saginata fuisse penitus  
 ab iis corrupta; alia vero in confinio, quorum saginæ addi-  
 tum fuerat calcis temperamentum, quæque a prioribus se-  
 pes unica dirimebat, plane illæsa floruisse. Abiguntur  
 etiam vermes, si aquæ, qua humectantur plantæ, indi-  
 ta fuerit calcis aliqua portio. Sed manum de tabula.  
 Nihil vero mihi acceptius erit læriusque, quam si conter-  
 raneis meis, quibus assignavit natura clima frigidius,  
 quorumq; agri prætaq; gelidioris & humidioris plerumq;  
 sunt indolis, hac qualicunque opella, ad calcis usum  
 frequentiore sua for esse potuerim.

(b) Rongl. Wett Ac. handl. gor 1745. p. 160.